
Quaestiones Grammaticae (Latin Edition)


Keil Heinrich

Title: Quaestiones Grammaticae (Latin Edition)

Author: Keil Heinrich

This is an exact replica of a book. The book reprint was manually improved by a team of professionals, as opposed to automatic/OCR processes used by some companies. However, the book may still have imperfections such as missing pages, poor pictures, errant marks, etc. that were a part of the original text. We appreciate your understanding of the imperfections which can not be improved, and hope you will enjoy reading this book.





QVAESTIONES GRAMMATICAE

QVIBVS

AD AVDIENDAM ORATIONEM

QVAM

PRO LOCO IN SENATV ACADEMICO

REGIAE VNIVERSITATIS FRIDERICO-ALEXANDRINAE

RITE OBTINENDO

DIE X MENSIS MARTII HORA XI

PVBlice HABEBIT

OMNI QVA PAR EST OBSERVANTIA

INVITAT

HENRICVS KEIL.

UNIV. OF
CALIFORNIA

LIPSIAE

TYPIS B. G. TEVBNERI.

MDCCCLX.

NO. 1000
SUBSIDIARY

UNIV. OF
CALIFORNIA

In nova editione grammaticorum Latinorum quamquam id maxime nobis propositum est, ut verba scriptorum, quae in exemplaribus olim impressis valde corrupta feruntur, ad fidem optimorum codicum revocemus et ea quae errore librariorum depravata sunt corrigamus, tamen cum hoc ipso negotio coniunctum est illud, ut de antiquioribus scriptoribus, a quibus illi suam doctrinam repetiverunt, quaeratur, quibus quaestionibus haec studia, quae in extrema fere aetate Latinarum litterarum versantur, continuo quodam et necessario vinculo cum doctiore antiquitate conexas sunt. constat enim ea quae olim docti grammatici de ratione et consuetudine Latini sermonis disputaverant ab his qui postea in hoc genere litterarum elaboraverunt ita suscepta esse, ut, dum alius alium sequitur et quae a prioribus scripta acceperat in suum usum convertit, omnia, quae quidem aliquam doctrinae speciem prae se ferunt, ex illis felicioris temporis copiis quamvis longo intervallo et quasi gradibus quibusdam deducta fluxerint. quo fit ut non solum bonorum et antiquorum grammaticorum memoria ex recentium fere et indoctorum imitatorum libris excitanda sit, sed etiam quid ipsi scripserint vel quae sit rerum traditarum fides saepe iudicari nequeat, nisi accurate quaesiveris quibus auctoribus quaeque debeantur. eius rei satis luculenta exempla nuper Prisciani libri minores, quos in tertio volumine grammaticorum Latinorum edidi, mihi suppeditabant. nam de auctoribus, quibus ille in iis libris scribendis usus est, quaerens quaedam longe aliter atque vulgo fieri solet mihi constituenda esse vidi. quae quoniam pro ratione eius editionis diligentius explanare non licuit, nunc accuratius persequi placet, praesertim cum sint de quibus iam rectius vel certius, quam olim factum est, statuere posse mihi videar. accedebat aliud quiddam, quod me movit ut haec nunc, nondum

DE VINO
ABSTINENTIA

in publicum proposita nova editione, quae aliquot abhinc mensibus finita est, retractarem. unius enim ex libris Prisciani, qui est de figuris numerorum, codex manu scriptus in bibliotheca nostrae universitatis extat satis bonus et antiquus. quem quamquam ne tum quidem ignorabam, cum in eo libro recensendo et emendando occupatus eram, tamen, quoniam in iis codicibus quos conlatos habebam satis praesidii positum esse arbitrabar, ad recensionem non adhibui. nam litteris Doederleinii nostri, viri illustrissimi, certior factus bonum quidem codicem esse, sed eundem genere non diversum a reliquis cognovi. neque est cur huius me iudicii paeniteat, postquam ipsius libri copia facta est. sed ne temere bonum codicem neglexisse neve quid omisisse credar, quod addi ad meam operam possit, hac opportunitate oblata accuratius de hoc libro dicere et ea quae nunc etiam digna esse memoria videntur componere visum est.

Codex autem quem dico ex bibliotheca 'sanctae mariae in haysbrun' in hanc urbem translatus olim inter codices Heilsbrunnenses fuit numero septuagesimus sextus, nunc est Erlangensis 848, non 301, sicut olim Halmium de codicibus Ciceronis (zur Handschriftenkunde der Ciceronischen Schriften Monachii a. 1850) p. 3 secutus scripsi. post Ciceronis de oratore libros partim decimo vel undecimo saeculo partim quinto decimo scriptos carmen de ponderibus et mensuris Remi Favini nomine inscriptum, f. 146 *Pondera* — 147 *sine aquis*, et Prisciani liber de figuris numerorum legitur, f. 147 *Priscianus grammaticus Symmacho. Omni* — 150 *similia. de figuris numerorum liber singularis prisni grammace caesariensis explic.* uterque liber ab eodem librario scriptus est, qui antiquiorem partem librorum Ciceronis scripsit et nomen suum professus est his, quae libro Prisciani subscripsit, *venerando abbate gerberto philosophante suus placens ayrardus scripsit.* scriptura autem codicis proxime accedit ad optimum codicem Leidensem Voss. 12. 8, quocum ita etiam in vitis quibusdam, quibus reliqui libri carent, consentit, ut ex eodem archetypo ductus esse videatur. prior scriptura saepe vitiosa postea alia manu, quae ipsa quoque satis antiqua esse videtur, partim coniectura librarii partim adhibito veteri exemplari correctata est. Graecorum scriptorum verba a Prisciano adscripta integra exhibet co-

dex Erlangensis; qua in re ex magno numero codicum, in quibus hic libellus scriptus est, duos, quantum scio, habet consentientes, Leidensem quem supra dixi et Monacensem 280. nam in reliquis haec fere ommissa sunt. quamquam in his quoque locis sic cum illis consentit, ut vix quicquam novi, quod illorum fide probatum non sit, accedat. sed quoniam ea quae de auctoribus a Prisciano adhibitis me disputaturum esse dixi ad ea maxime pertinent, quae ex Didymi libro *περὶ τῆς παρὰ Ῥωμαίοις ἀναλογίας* descripta sunt p. 1350 sq., haec primum ita, ut ex tribus codicibus, quorum discrepantia subiecta est, emendavi, adponam.

Didymus etiam ea confirmet: Καὶ Δίδυμος ἐν τῷ περὶ τῆς παρὰ Ῥωμαίοις ἀναλογίας, „Ἴωνες καὶ Ἀττικοὶ τὰ δύο ἡμισυ ἡμισυ τρίτον φασίν, καὶ τὰ ἕξ ἡμισυ τέλαυτα ἑβδομον ἡμισυ τέλαυτον, καὶ τοὺς τέσσαρας ἡμισυ πήχεις πέμπτην σπιθαμήν, καθάπερ φησὶν Ἡρόδοτος * προθεὶς τὸ ἐν δὲ Βατουσιάδης ἐν τῷ περὶ μουσικῆς ἐπιφέρει ‘τρίτον ἡμιπόδιον’ ἀντὶ τοῦ δύο ἡμισυ πόδες. καὶ καθόλου, ὅταν βούλωνται ἀριθμὸν τινα δηλοῦν καὶ μόνον τι προσκείμενον, τὸ ὁμώνυμον τοῦ ἀριθμοῦ ἀεὶ τοῦ πλεονάζοντος λαβόντες τὸ ὅλον φασίν, οἷον τὰ ἕξ ἡμισυ ἑβδομον ἡμισύ φασιν, τοῦ ἐπτά [ἑβδόμου], ὅς μονάδι πλεονάζει τοῦ ἕξ, τὸ ὁμώνυμον λαβόντες. καὶ Ῥωμαῖοι δὲ εὐρεθήσονται τούτῳ χρώμενοι τῷ σχήματι. τὰ γὰρ δύο ἡμισυ ἀσσάρια, ἅπερ ἦν τέσσαρα τοῦ δηναρίου (δέκα γὰρ ἡδύνατο ἀσσάρια τὸ δηνάριον, ὡς αὐτοὶ λέγουσιν δηναρίους παρὰ τὸ δηνα ἐσχηματισμένοι), σιστέριου φασιν, τοῦ μὲν ση τὸ ἡμισυ δηλοῦντος, ὡς ἐν τῷ σημόδιουμ σήσκουας σήσκουπλα, τοῦ δὲ τρίτουμ τὸ τρίτον, καὶ ἐστὶν ἡμισυ τρίτον.” τὰ δὲ χίλια σιστέρια ποιεὶ διακόσια πεντήκοντα δηνάρια ἀργυρᾶ, δέκα δὲ χρυσᾶ, ἅπερ καὶ μίλλε νούμωας φασίν. τὸ δὲ σήσκουας σύνθετόν ἐστιν ἀπὸ τοῦ ση καὶ τοῦ κούμ καὶ τοῦ ἄς ἄσσις, καὶ ἐστὶν ἡμισυ σὺν ἀσσαρίῳ, τουτέστιν ἐν ἡμισυ ἀσσάριον. ὥσπερ δὲ ἡμέδιμνον λέγουσιν Ἀττικοὶ ἀντὶ τοῦ ἡμιμέδιμνον, οὕτως καὶ οὗτοι σημόδιουμ, πλεονάζοντος τοῦ σ.

1 didimus etiam ea confirmet (corr. man. sec. hoc confirmat) ΚΑΙ ΔΙΔΥΜΟΣ ΕΝ Τῷ ΠΕΡΙ ΤΕΣ ΠΑΡΑ ΡΩΜΑΙΟΙΣ ΑΝΑΛΟΓΙΑΣ ΙΩΝΕΣ

E (hoc est codex Erlangensis), didimus etiam ea confirmet ΤΚΑΙΟΥ-
 ΜΟΣ ΕΝ ΤΩ ΠΕΡΙ ΤΗΣ ΤΗΡΑ ΡΩΜΑΙΟΙΣ ΑΝΑΛΟΠΑΣΤ ΙΩΝΕΣ
V (hoc est codex Leidensis), didimus etiam ea confirmet ΚΑΙ ΔΙΝΟΣ
 ΕΝ ΤΩ ΠΕΡΙ ΤΗΣ ΠΑΡ ΡΩΜΑΙΟΙΣ ΑΝΑΛΟΠΑΣΤ ΙΩΝΕΣ *M* (hoc est
 codex Monacensis) 5 ΕΝΔΕΒΑΤΟΥΤΙΑΔΗCΕΝΤΟΙ *E* 6 ΕΠΙΦΕΡΕΙ
E, ΕΠΙΦΕΙΡΕΙ *V*, ΕΠΙΦΕΡΕΝ *M* 7 ΒΟΤΑΟΝΤΑΙ *EVM* 8 ΠΡΟΣ-
 ΚΕΙΜΕΝΟΝ *EM*, ΠΡΟΚΕΙΜΕΝΟΝ *V* 11 ΜΟΝΑΔΕΙ *VM*, ΝΟΝΑ-
 ΔΕΙ *E* 12 ΧΡΩΝΕΝΟΙΤΩ *M*, ΧΡΩΜΕΙΤΟ *V*, ΧΡΩΝΕΝΟΠΩ *E*
 13 ΑΠΕΠΙΝΝΤΕCΣΑΡΑ *E* ΑΠΕΝΤΕCΣΑΡΑ *M*: ἄπερ — 14 ἀσσάρια
om. V 15 ΕCΧΗΜΑΤΙCΜΕΝΟΙ *E*, ΕCΧΗΜΑΤΙCΜΕΝΤC *V*, ΕCΧΗΜΑ-
 ΤΙCΝΕΝΟΙC *M* 17 τρίτιον — 18 τρίτον] ΤΕΡΙΤΟΝ *E* 18 ΧΕΙΔΙΑ
EVM 20 ΤΟΔΗ *EV*, ΔΕΔΗ *M* 24 ΠΛΕΟΝΑΖΟΝΤΕCΤΟC *EVM*

Adscripsit haec Priscianus, ut ea quae antea p. 1347 de
 sesterlii nomine dixerat Graeci grammatici auctoritate confirma-
 ret. sed quae Graecus grammaticus ex antiquioribus scriptori-
 bus ad hunc dicendi usum probandum attulit pravis opinionibus
 temptata non solum de hoc ipso loco iudicium perturbaverunt,
 verum etiam in aliis quibusdam rebus vero inveniendis obstite-
 runt. nihil dicam de Eliae Vineti commento, qui primus haec
 verba, quae a prioribus editoribus omissa erant, in sua editione
 Parisiis a. 1565 facta ex codice Leidensi exhibuit. is igitur,
 cum pro ἐν δὲ Βατουσιάδης, qui est versus Archilochi, ἐν
 δεκάτους Ἰάδης scripsisset, nescio quem Iadem, qui de arte
 musica scripsisset, citari sibi persuasit; unde novum nomen inter
 scriptores rei musicae recensuit Fabricius bibl. Graec. III 10, 9
 (t. III p. 650 ed. Harl.). nam illud quidem et nunc codicum
 fide corrigitur et olim felici coniectura correctum erat a Porsono
 apud Gaisfordium in Heph. p. 39. sed gravius erratum est in
 iis quae de Herodoto scripta sunt. de quibus postquam Wesse-
 lingius in Herod. I 50 adnotavit verba καὶ τοὺς τέσσαρας
 ἡμῶν πήγεις πέμπτην σπιθαμὴν non ad eum locum quem
 tum tractabat referenda esse, primum Gaisfordius l. c. hoc ita
 pervertit, ut ea verba omnino non pertinere ad Herodotum di-
 ceret. deinde Lindemannus in Prisc. op. min. p. 379 Herodo-
 tum rerum scriptorem prorsus alienum esse ab hoc loco ratus
 grammaticum quendam eodem nomine appellatum, cuius liber
 περὶ μουσικῆς citaretur, intellegendum esse existimavit. deni-
 que Godofredus Hermannus, quem auctorem novissimus editor
 Krehlius secutus est, quoniam parum probabiliter illud de He-

rodoto grammatico excogitatum esse intellegebat, nomen Heliodori metrici, quem de musica arte scripsisse facile credi poterat, substituit, verba autem sic scribenda esse coniecit, *καθάπερ φησὶν Ἡλιόδωρος, ὃς προσθεὶς τὸ Ἐν δὲ Βατουσιᾶδος ἐν τῷ περὶ μουσικῆς ἐπιφέρει τρίτον ἡμιπόδιον ἀντὶ τοῦ δύο ἡμισὺ πόδες.* quam coniecturam tamquam certissimam ita probavit Ritschelius de biblioth. Alex. p. 140, ut hoc ipsum fundamentum eius quaestionis quam de aetate Heliodori instituit esse vellet. nam cum conplures grammaticos eo nomine fuisse subtili disputatione docuisset, hunc qui metrica arte exposita laudem adeptus est ante aetatem imperatoris Augusti vixisse certum esse dixit, propterea quod Didymus, quem nobilem illum grammaticum Augusto aequalem esse statuebat, eius mentionem fecisset. contra hunc disputans Bernhardus in annal. crit. Berol. (Jahrb. f. wissensch. Kritik) a. 1838 p. 832, quamquam certum de aetate Heliodori iudicium non protulit, tamen non dubitavit quin recte illud nomen ab Hermanno restitutum esset. idem placuit Bergkio mus. Rhenan. noviss. I (a. 1842) p. 381, qui, cum id ageret ut Heliodorum rhetorem, eum quem comitem itineris sibi fuisse dicit Horatius sat. I 5, 2, non diversum esse doceret a metricae artis scriptore, hoc non putabat teneri posse, nisi ita ut Didymus, cuius verba Priscianus adscripsit, alius atque nobilis ille grammaticus esset. quid quod in eandem coniecturam, quam Hermannus proposuit, olim inciderat Porsonus, ut indicat Kiddius, Porson tracts and miscellaneous criticisms. p. 311? ut duorum summorum criticorum consensu nomen Heliodori tutum esse videretur. attamen nihil certius est, quam Herodoti nomen, quod in libris manu scriptis est, sollicitari non debuisse. nam ut hoc quod secundo loco a grammatico positum est, *Ἐξ ἡμισὺ τάλαντα ἑβδομον ἡμιτάλαντον,* ex Herodoti narratione de leone Delphico I 50, quam paulo ante adscripsit Priscianus, petitum esse constat, ita dubitari nequit quin illud quod sequitur, *καὶ τοὺς τέσσαρας ἡμισὺ πήχεις πέμπτην σπιθαμὴν,* ad haec quae de imagine regis Aegyptii idem scriptor II 106 rettulit, *μέγαθος πέμπτης σπιθαμῆς,* referendum sit; animadvertitque illud iam dudum Elmsleius classical journal vol. V (a. 1812) p. 334. quoniam igitur duae elocutiones ex Herodoti libris positae sunt,

manifestum est huc pertinere id quod subiectum est, *καθάπερ φησὶν Ἡρόδοτος*. his duobus Herodoti testimoniis additur tertium a scriptore quodam *περὶ μουσικῆς* petitum, qui Archilochi versum ex duobus dactylis et semipede compositum dixerat *τρίτον ἡμιπόδιον*. de quo scriptore quia incertum est iudicium remoto nomine Heliodori, altius iam repetenda est disputatio. et primum quidem de ipsis verbis et de iis grammaticis, quorum auctoritate hoc loco Priscianus utitur, deinde de Heliodoro dicam, cuius nomen ab hoc quidem loco alienum est, sed saepius eo usus est Priscianus in libro de metris Terentii.

Ante omnia autem animadvertendum est Priscianum haec non ex ipso Didymi libro, sed ex recentiore quodam commentario Graece scripto, in quo illius verba citata invenit, petivisse. quod quidem satis adparet ex his verbis quae in initio posita sunt, *καὶ Δίδυμος ἐν τῷ περὶ τῆς παρὰ Ῥωμαίοις ἀναλογίας* *); quae ille una cum ipsis Didymi verbis a Graeco grammatico, quem secutus est, recepit. nam ridiculum erat, si ipse addidisset, postquam Latine idem nomen scripsit. atque nisi fallor, hoc quoque loco Dardanum illum secutus est, cuius sententiam antea de obolo et talento attulerat p. 1347 et 1349. is vero non videtur diversus esse ab eo qui a Ioanne Lydo de mens. p. 56, 22 ed. Bonn. *Δαρδάνιος* dicitur **, ὁ δὲ *Δαρ-*

*) In codice Leidensi his vocabulis ter interposita est *T* littera. quod nisi casu et errore librarii factum esse putabimus, quoniam tali fere nota usos esse librarios constat, siquid omissum vel alieno loco positum esse indicare volebant, suspicionem movere potest ut verba perturbata esse credamus. nam quod M. Schmidtus Did. fragm. p. 346 censebat, distinguendae orationi eam litteram inservire, non video veterum librorum more probari. quam ob rem haec sic olim a Prisciano scripta esse conieci, *Didymus etiam ea confirmet ἐν τῷ περὶ τῆς παρὰ Ῥωμαίοις ἀναλογίας, Καὶ Δίδυμος Ἴωνες*, ut ille titulum libri a Graeco grammatico hoc loco omissum ipse addidisset. tametsi ne illud quidem satis veri simile est, neque omnino illi litterae, praesertim cum reliqui libri dissentiant, quicquam tribuendum esse videtur.

**) In Prisciani libris est *Dardanus* p. 1374 et *Dardanum* p. 1349, nisi quod priore loco Erlangensis codicis corrector super scripta *i* littera, ut videtur, *Dardanius* scribi voluit.

δάμιος ἐν τῷ περὶ σταδμῶν χιλίων ὀβόλων λέγει πάλαι γενέσθαι τὸ μιλιαρῖσιον καὶ ἀπὸ τῆς χιλιάδος τῶν ὀβόλων οὕτως ὀνομασθῆναι. ex quibus verbis cum antea collegissem quarto saeculo post Christum natum non superiorem esse illum scriptorem, si quidem ante eam aetatem miliarensis memoria non extat, nunc video certius etiam propter eandem causam a Mommsenio nunt. societ. litter. Saxon. a. 1851 p. 279 conl. p. 274 annum definiri tricesimum sexagesimum, post quem illa scripta sint. Dardanum autem, quamvis non multo antiquior fuerit Prisciano, tamen bonis et antiquis auctoribus usum esse in primis docet praecleara illa talenti Attici magni definitio p. 1348, de qua dixit Boeckhius quaest. metrol. p. 115. ex huius igitur libro περὶ σταδμῶν Priscianus cum alia quae de ponderibus et nummis Graecorum eorumque cum Romanis similitudine disputat tum haec Didymi verba recepisse videtur. immo ne omnia quidem quae Graece scripsit Didymi esse credo. nam quod in fine scriptum est, *σημόδιουμ* dictum esse pro *ἡμόδιουμ* vel *ἡμιμόδιουμ*, id et per se ineptum est et pugnat cum superiore definitione, τοῦ μὲν ση τὸ ἡμισυ δηλοῦντος, ὡς ἐν τῷ σημόδιουμ. accedit quod ea quae post grammaticam disputationem, de nummis Romanorum exposita sunt non tam Didymo, cuius opera omnis in grammatico genere versabatur, quam Dardano conveniunt. itaque extrema verba τὰ δὲ χίλια — *πλεονάζοντος τοῦ σ* ab ipso Dardano adiecta, a Prisciano vero, tamquam Didymi essent, cum superioribus coniuncta esse videntur. simili prorsus ratione usus Priscianus supra p. 1347. una cum Herodoti verbis a Graeco grammatico citatis ea quoque quae ille explicandi causa addiderat repetivit. atque haud scio an illa, quoque Dardano tribuenda et ab eo ante hunc locum, in quo nunc versamur, scripta sint. nam Didymi esse, ut vulgo creditur, minus probabile est, quoniam eadem Herodoti verba hoc ipso loco brevius ab eo indicata sunt. hinc video corrigenda esse quae olim de illis verbis adnotavi.

Venio iam ad Didymum. de quo non est cur in dubitationem vocetur satis certum Suidae testimonium, *Δίδυμος ὁ Κλαύδιος χρηματίσας, γραμματικός· περὶ τῶν ἡμαρτημένων παρὰ τὴν ἀναλογίαν Θουκυδίδη, περὶ τῆς παρὰ Ῥωμαίους ἀναλογίας,*